





Wd. 40.





15  
D. IO. RVDOLPHI ENGAV

15  
CODICIS ET NOVELL. P. P. O.  
CVRIAE PROVINCIALIS ASSESSORIS SCABIN.  
COLLEGII SENIORIS etc.

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

SOCIETATE  
MERCATORIA

oder

von der Compagnie Handlung.



---

IENAE

RECUSA LITTERIS SCHILLIANIS.

CIDIO CCLXVII.

6



DEPARTMENT OF THE ARMY  
OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL  
WASHINGTON, D. C.  
1862

DEPARTMENT OF THE ARMY  
OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL  
WASHINGTON, D. C.  
1862

DEPARTMENT OF THE ARMY  
OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL  
WASHINGTON, D. C.  
1862

DEPARTMENT OF THE ARMY  
OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL  
WASHINGTON, D. C.  
1862

DEPARTMENT OF THE ARMY  
OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL  
WASHINGTON, D. C.  
1862

DEPARTMENT OF THE ARMY  
OFFICE OF THE ADJUTANT GENERAL  
WASHINGTON, D. C.  
1862







§. I.



*Societas* mihi dicitur conuentio, quam Societates sunt duae pluresue personae de certo fine coniunctis viribus quaerendo inierunt.

§. II.

Itaque pro diuersitate finis vnitis viribus <sup>1) vel publicae vel priuatae.</sup> quaerendi non potest non variare. Sic (1) in *publicam*, qualis est ciuilis, academica, monastica, equestris sacra etc. et *priuatum*, cuius commatis est v. c. metallica a), *die Gewerkschaft*, dispescitur.

a) LEISSER *iur. georg.* III. 24. 73. seqq.

A

§. III.





## §. III.

2) vel licitae  
vel illicitae.

Dein (2) vel *licita* est vel *illicita*, prout salutis publicae prodest vel obest, aut saltem prodesse vel obesse videtur legibus. Itaque illicitam v. c. habeo societatem, quae pro-et monopolium infert *b*), usurariam prauitatem sapit *c*), ad alendas concubinas communesue amicas recipiendas \* tendit, ad haec vel illa delicta committenda inuitat, aut, vt annona carior reddatur, efficit *d*).

\* Eiusmodi societatem, si fides habenda ERASTO in ep. ad Pellicanum, apud HOTTINGERVM *hisor. eccles.* To. V. p. 595. extante, Iulius III. pontifex maximus et Crescentius Card. olim inierunt, atque vi illius omnes meretrices communes habuerunt, communibusque sumtibus aluerunt.

*b*) R. Imp. 1548. 1577. tit. *die schädlichen Vorkauffe belangend.* Colon. de A. 1512. §. *Und nachdem etc.* GRASS *de propolio iure prohibito.*

*c*) WERNHER p. V. obs. 224.

*d*) KLOCK *de aerario* lib. I. c. 14. nr. 106. sq.

## §. IV.





§. IV.

Inter societates licitas celebratur *mercatoria* \*, quae quandoque audit *hanse* \*\* *Mascopey* \*\*\* e) *compagnie Handlung*, atque describi potest duorum pluriumue conuentio de mercibus, numis vel operis, lucri ex negotiatione licita quaerendi gratia, in commune conferendis.

Inter licitas celebratur mercatoria, quae diuiditur

\* De qua societate in antiquis Germanorum legibus haud quidquam inuenitur; nec hoc silentium miror, siquidem temporibus, quibus istae Leges conditae sunt, vix ea fuit ratio commerciorum in Germania, vt ideo in societatem coire vellent mercatores.

\*\* *Hanse* est vocabulum, vetustioribus Anglis et in Saxonia inferiori degentibus vsitatum, quo olim quaelibet societas, dein mercatoria, tam publica quam priuata, denotabatur. STEPH. SKINNERI *etymol. linguae Anglicanae* p. 1. et 3. sub h. v. HENR. SPELMANN *Gloss. v. Aufae et Aufen.* SCHILTERI *Glossar. v. Ansa et Hansa.* Sic in priuilegio Leonis Guthonibus A. 1163. et Philippi Neaportensibus A. 1168. dato *liberorum ab hanfa* nomine veniunt, quibus negotiandi facultas







competit, licet nomen ciuitatibus hanseaticis vix de-  
 derint. Conf. MICRAELII obs. ad HELMOLDI *Chron.*  
*Slavor.* §. 13. ap. Per-Illustr. *de WESTPHALEN mo-*  
*num. inedit.* To. III. f. 1918. A quo vocabulo: *Hanse*,  
 multa descendunt alia, veluti *Hanse Städte* siue vrbes  
 ad libertatem commerciorum in regnis exteris coniun-  
 ctis viribus tuendam associatae, *Hans Townes* i. e. ciuita-  
 tes fociae, ap. SKINNERVM c. libr. h. v. *Hans in Kel-*  
*der* i. e. socius cellae penariae, *Hanseln*, i. e. in socie-  
 tatem recipere, *bänssch* ad commercii societatem per-  
 tinens, V. SCHOTTEL *de singular. quibusdam et antiqu.*  
*in Germania iuribus* c. 26. §. 31. *Hansgrav*, comes vel  
 iudex societatis mercatoriae, qualis Ratisbonae con-  
 stituitur vi priuilegii a Friderico II. Imp. Ratisbonen-  
 sibus A. 1230. indulti, quippe in quo haec verba le-  
 guntur: *ciues potestatem habebunt eligendi HANSGRA-*  
*VIVM, qui disponat et ordinet extra ciuitatem et non*  
*intra, ea tantum quae respiciunt negotia nundinarum.*  
 Vid. KNIPSCHILD *de iuribus et priuil. ciuit. imper.* lib.  
 III. c. 43. nr. 19.

\*\*\* Etymologia huius vocabuli admodum dubia est.  
 HEINECCIUS *Elem. iur. Germ.* lib. II. §. 407. not. \*  
 illud ex *magsebaftey*, quo ius cognationis denotatur,  
 contractum, atque propterea, quod focii ad instar fra-  
 trum



trum esse videantur, vsu receptum habet. Cui adstipulatur MANTZEL in *select. Rostoch.* fasc. 3. spec. 14. not. 1. simul adiiciens, quod nominis *mien maschop*, quo Rostochii vnus sociorum appellat alterum, illustratio ab idiomate, vi cuius plebs vnicum amicum nominet *sen Fründschop*, peti debeat. Iam quidem certum est, quod vocabulum: *mag* cognatum, siue illum, quem vel communis vtilitas vel fors aut delectatio in vnā societatem amicitiamue combinauit, et *magtschafft* cognationem denotet, nec inusitata sint vocabula *Schwerd - Spill - Nagel - Magen*; tamen Heineciana deriuatio mihi displicet, quoniam 1) non memini me legere, nomen *Magschafftey* societati mercatoriae tribui, et 2) Germanis vsitatum fuisse, adhibitis terminationibus, vocabula, quae terminanda erant, adeo obscurare, vt ab aliis discerni nequeant; quod certe hic factum fuisset, quum sublatis terminationibus *scop*, *ey*, sola syllaba *ma*, qua neque cognatus neque alius denotatur, vnice remaneat. Me quidem iudice a *mas* et *scop*, quorum illud mensuram siue normam metiendi, hoc vero *consortium* denotat, deriuandum est. Sic cognoscere licebit causam, cur plerumque tabernariam mercatorum societatem significauerit, et adhuc significet hodie; itidem, cur cum duplicata littera *s*. scriptum fuerit, et alibi scribatur.





e) *Der Grafschaft Hobenlobe gemeinsames Land-Recht p. III. tit. 9. Ius Lubec. lib. III. tit. 9.*

§. V.

1) in terre-  
stem et

Quid? quod pro diuerso genere negotia-  
tionis, unde lucrum quaeritur, variat societas  
mercatoria. Iam quum negotiatio sit vel *εμπο-  
ρικη*, quae inter gentes diffitas intercedit, vel  
*καπηλικη* siue tabernaria, atque illa iterum in  
*ναυκληγίαν* et *φορτηγίαν* diuidatur: apparet ra-  
tio, cur societas mercatoria quibusdam vel  
*grossa* vel *tabernaria*, illaque iterum vel *ter-  
restris* vel *maritima* f) esse dicatur.

f) IOH. MARQVARD *merciorum singulari*, lib. II. *de iure  
mercatorum et com.* c. II. nr. 3.

§. VI.

maritimam,

Per maritimam intelligimus eam, quae  
negotiationis in mari exercendae intuitu cele-  
brata est, neutiquam vero illam, cuius obie-  
ctum





Etum est mutua contra piratas defensio g), atque nomine illo: *Admiralschop, Admiralschaft*\* vocatur.

\* De quo nomine vid. LOCCENIVS *de iure maritimo* libr. II. cap. 2. *Hanse- Städtische Schifs- Ordnung*, tit. II. VII. quam fistit et illustrat REINOLDVS KÜRICKE *in iure maritimo Hanseatico*; de ratione vero naues sociiales, et ea quae in illis deprehenduntur, aestimandi, vt hoc vel illo infortunio eueniente, a quolibet, seruata proportionis lege, feratur damnum, nonnulla tradunt STYPMANN *de iure marit.* c. XI. nr. 52. sq. IOH. LOCCENIVS c. I. §. 7.

g) STRVV. *decif. Sabbath.* c. XI. *decif.* 17.

### §. VII.

Vtraque (2) in *generalem* et *singularem* <sup>2) in generalem et singularem,</sup> diuiditur, prout ea ad omnem aut ad certam quandam negotiationem\* exercendam tendit.

\* *Vniuersalem*, quae ad omnia omnino bona, praesentia et futura, dirigitur, quaesita ea sint aut quaerenda quo velint modo, licet *I. Lubec.* p. III. tit. 9. a. 5. fit probata, tamen lubens praetereo, quum sit rarissima.

### §. VIII.





## §. VIII.

3) ex mente  
Sauary in

Denique celebris ille SAVARY societatem negotiatoriam diuidit (3) in *collectiuam*, eam, quae vulgo dicitur *en commandite*, et *momentaneam* h).

b) *Parer. 65. ap. MARPERGERVM im Vorrath unterschiedener, über allerhand, die Kaufmanschaft betreffende Vorfälle, eingebohten Responsorum* p. 217.

## §. IX.

collectiuam,

*Collectiua* dicitur, cuius leges iubent, fortem ab omnibus conferri sociis, eorumque, qui contulerunt fortem, nomina ad vnum omnia in litteris, societatis nomine exaratis, exprimi, hoc fere modo: *Dietz, Gebhard und Meuius, vel Dietz, Gebhard, Meuius in Compagnie*.

## §. X.

en commandite et

*Societas en commandite* dicitur (r) quando vnus sociorum fortem, alter operas confert, hic





hicque proprio nomine negotiatur, atque contractuum formulis suum, minime vero societatis nomen subscribit \*; (2) quando mercatores diuersis in locis habitantes sibi inuicem merces mittunt, hac tamen sub lege, vt quilibet suo negotietur nomine.

\* Qui negotiatur, audit quandoque *complimentarius*, *Nabmenträger*.

#### §. XI.

Quodsi mercatores de lucro, ex certarum <sup>momentané</sup> coëmtarum mercium venditione quaerendo, inter se diuidendo conuenerint, societatem, cui nomen est: *momentanée*, *anonyme*, atque, ex quorundam sententia, *Compte en participation*, contraxisse dicuntur.

#### §. XII.

De societate mercatoria notari debent sequentia:

I. Eam solo consensu perfici, atque

B

II. iu-



II. iubere, illa adhiberi media, sine quibus lucrum quaestuarium obtineri nequeat, nec

III. subsistere sine<sup>u</sup> communionem lucri, quod

IV. ex negotiatione licita, cuius intuitu contracta est societas, provenit.

V. Socios singulari amicitia sibi inuicem iunctos esse debere.

### §, XIII.

Societas, quae  
consensu per-  
ficitur, et

Ex primo (§. pr. I.) sequitur, ut (1) societas mercatoria (a) et verbis et factis \* i), (b) vel pure vel sub certis legibus, (c) ad tempus modo certum modo incertum k), (d) tam simpliciter quam addita quadam poena conuentionali l), (e) a praesente non minus quam per internuntium, queat celebrari; (2) ut proprie socii dici nequeant, quos fortuna et casus, non consen-



consensus coniunxit, quales sunt coheredes, collegatarii etc. *m*).

\* Hinc aliqui societatem mercatoriam in *expressam* et *tacitam* diuidunt, quarum haec ex illis actibus, qui citra ius societatis vix solent fieri, colligitur, utpote ex eo, quod diuersorum merces communi signo notatae, et libri rationum super earum negotiatione confecti communi titulo insigniti fuerint, aut literae mercatoriae ita conscriptae, ut earum conditor suum alteriusque nomen, nulla mandati mentione facta, subscripserit. HERTIUS *de societate facta constituta* §. 10. GABR. MVDABVS ad L. 31. sq. π. pro Socio. CARPZOV. libr. V. resp. 21. nr. 16. sq. LEYSER sp. 184. m. 1.

\*\* Societas et rerum communio haud parum differunt. Etenim (1) societas vel expresso vel tacito, rerum communio a lege propter aequitatem praesumpto, consensu nititur, (2) communio, nequiquam vero societas, quouis tempore potest dissolui, (3) communio iudicium familiae herciscundae aut communi diuidendo, societas vero actionem pro socio progenerat; (4) non quidem actione pro socio, tamen communi diuidendo iudicio tenetur pupillus, furiosus etc. HERTIUS c. d. sect. I. §. 17. Hinc (a) Graeci inter Κοινωνίαν et Κοινονπραξίαν sollicite distinxerunt, HARME-





NO PVLO hoc docente libr III. tit. X. §. 3. (b) doctores  
 communioni nomen societatis vel plane non, vel ad-  
 dito cognomine *fortuitae*, *necessariae*, *impropriae*, so-  
 lent tribuere, V. CUIACIVS lib. X. obs. 25. BOGER  
 Class. 2. disp. 5. th. 2.

z) l. 4. pr. ff pro Socio. GERDES de *societate* §. 2. in Opusc.  
 Vol. I. p. 875.

k) L. 1. pr. π. eod.

l) L. 41. 42. eod.

m) L. 31. ff. pro Socio.

#### §. XIV.

eum quolibet  
 fere iniuri  
 potest,

Ex eodem consequitur (3) vt omnibus,  
 qui consentire, atque merces, numos, ope-  
 rasue, quibus ad negotiationem, quam inten-  
 dunt, opus est, conferre queunt, neutiquam  
 vero furiosis aut prodigis, quippe quorum  
 nulla voluntas aut marito, qui communionem  
 omnium bonorum cum vxore sua contraxit,  
 hac inuita n), societatem celebrare liceat. Qua  
 de re quaestionem illam: *An feminae societa-*  
*tem*



*tem mercatoriam contrahere queant?* de qua nonnulli ferram contentionis reciprocant, quod ad mercatrices, simpliciter *o*), quod ad reliquas, si in locis, quibus cura sexus adhuc viget hodie, curatoris consensum requirant, adfirmandam esse putarem.

v) *Ius Statut. Mindens.* tit VI, aut 2.

o) SCHVLTZENS d. de *femina mercatrice* c. II. §. 41. seq.

### §. XV.

Sic quoque (4) societatem inire potes cum quolibet homine libero, hic et alibi cohabitante, huic aut illi religioni addicto, nisi leges istius provinciae, aut statuta istius loci, qua et quo negotiari intendis, mercatorum extraneorum et diuersae religioni addictorum iura reddiderint deteriora.

\* Sic v. c. in *Skraa antiqua et noua ciuitatis Susatens.* art. 95. legitur: *unde unse Borgeren solt auch mit frömbten und vthwendigen Lüden neür Gemeinschaft in Kopenschop hebben*, ap. Per. III. DN. DE WESTPHALEN c. I. To.



IV. f. 3090. Nec minus *lure Lubecensi* lib. III. tit. 9. art. 2. scriptum legimus: *es soll kein händfischer mit denenjenigen, welche nicht händfisch seyn, er sey gleich wer er wolle, Gesellschaft oder Factoreyen anstellen.* Quae fere eadem leguntur *Recess. Hanscat.* de A. 1426. 1440. 1441. 1476. ap. MARQVARDVM c. l. II. §. nr. 18. Vid. III. PRAESIDIS *Elem. Iur. Germ.* lib. III. §. CX. Cuius dispositionis ratio sine dubio illa est, ne extranei ciuium iura et commoda singularia per indirectum participarent.

### §. XVI.

non quidem  
litteris,

Denique ex eodem (§. XII, 1.) constat (5) societatem mercatoriam probari quidem, nec tamen indigere, scriptura p), nisi de hac speciatim conuentum sit q). Multo minus opus est iudiciali illius confirmatione, nisi de hac expresse disponant leges istius loci, quo negotiatio exercenda est, aut partes ita conuenerint r).

p) *Der Stadt Franckfurth am Mayn erueuerte Reformation* p. II tit. 23. §. I.

q) STRVV *decis. Sabbath.* p. 499.

r) SAVARY ap. MARPERGERVM c. l. p. 211.

### §. XVII.



## §. XVII.

Quandoquidem finis societatis mercato-  
 riae, quoties fors merciumue copia deficit, aut  
 denegantur operae, optineri nequit; quisque  
 sociorum sortem conferre, obrasque praesta-  
 re debet, et quidem suo tempore modoque  
 congruo (§. XII, 2.). Ne vero huius vel illius  
 fortis collatione, aut variarum operarum prae-  
 statione sibi inuicem impedimento sint in lucris  
 consequendis, vtramque satis, licet non eodem  
 semper modo, determinare solent socii. Sic  
 mox eandem sortem ab vnoquoque sociorum  
 conferri, atque operas aequaliter inter eos di-  
 stribui, mox ab vno magnam sortem, eamque  
 in numis non mercibus consistentem, confer-  
 ri, ab altero, praeter collationem minoris for-  
 tis, operas praestari iubent. Sic quoque diem,  
 quo exordium capiat societas, quoque singu-  
 lis annis conficiatur inuentarium, et reddan-  
 tur

tamen deter-  
 minatione  
 fortis et ope-  
 rarum in-  
 diget.





tur rationes, statuunt, atque de signo societatis communi, de subscriptione in literis societatis adhibenda etc. conueniunt.

### §. XVIII.

Illud tamen simul sentias velim, socium, ad operas societati praestandas obligatum, neque personam institoris, *eines Factors, Nahmen-trägers*, siue pro certa mercede negotiationi cuidam praefecti, proptereaue nec lucrum nec damnum inde proueniens participantis, gerere, neque eundem semper esse, quem vocamus *complimentarium*, siquidem hic non nisi in societate *en commandite* dicta occurrere solet (§. X.).

### §. XIX.

Lucrum,

Lucrum ex sociali commercio proueniens inter socios commune est *s*) (§. XII, 3.) Tantum vero abest, vt ea omnia, quae vni vel alteri sociorum ex causa lucratiua obuenerunt *t*),  
 aut



aut ex delicto tertii per actionem iniuriarum vel ex L. Aquilia acquisita sunt *u*), communicentur, ut ne quidem quaestus, quem unus et alter sociorum extra sociale commercium fecit, habeatur communis *x*).

*s*) VINNIUS qu. 54. cc. f.

*t*) 9. π. pro Socio. Ref. Francof. p. II. tit. 23. §. 13.

*u*) a. L. 52. §. 16. π. eod. Stat. Hamb. II, 10, 7.

*x*) Ius Lubec. c. 1. art. 4.

### §. XX.

Sors, prout illius dominium aut usum <sup>neutiquam  
vero fors,</sup> contulerunt socii, vel sociorum communis vel conferentis propria est. Id quod notare debet decisurus quaestionem: *Cuinam ea pereat?* Sic v. c. domus, quam quis sub lege societatis quibusdam mercatoribus accommodavit, ut in ea negotientur, manet accommodantis propria, atque huic incendio cremata perit; contra fors in numis consistens, post oblationem

C

socie-





societati factam perdita, huic perit *x*), siquidem illius dominium, a quo periculi pendet ratio, post oblationem commune fuit *y*).

*x*) a. L. 52. §. 3. *ω*. pro Socio 58. §. 1. eod.

*y*) EYBEN *ad Infit.* disquis. XVII. obs. I. nr. 17.

### §. XXI.

inter socios,  
ex aequis  
partibus,

Est vero lucrum inter socios ex aequis partibus diuidendum *z*). Quandoquidem vero aequae partes dicuntur vel *simpliciter*, pro sociorum numero, ita ut vnus tantum, quantum alter, accipiat, vel *relate*, habita ratione quantitatis sortis, vel pluralitatis operarum ab vnoquoque collatae, ita ut quo maiorem aut minorem sortem quis intulerit, vel quo plures operas praestiterit, eo plus aut minus accipiat lucri: inquirendum erit, quaenam partes in societate mercatoria dicantur aequae. Equidem relatam quantitatem attendendam esse cum HARTMANNO PISTORE *a*), CARPZOVIO *b*), TELLERO *c*),



RO c), STRVVIO d), HVBERO e), aliisque statuerem, quoniam aequitas inter inaequales aequalitatem, vel inter aequales inaequalitatem vix patitur. Quam sententiam quoque pleraque firmant statuta, ex quibus *Hamburgensia*, *Norimbergensia* et *Francofurtana* nominare licebit. In istis enim sequentia f): *Wann zween oder mehr in eine Mascopey zusammen treten, ohn alle Vorworte, wie es mit dem Gewinn und Verlust soll gehalten werden, und folgendes Streit zwischen ihnen vorküft: so soll ein jeder des Glücks und Unglücks, nachdem er Geld, Wahre oder Arbeit zu der Gemeinschaft angewandt, proportione Geometrica, zu genießen haben; in illis vero haec legimus: So aber kein besonderliche Mass oder Anzahl des Gewins und Verlusts ausgedrucket und bestimmt würde, so soll derselbe nach Anzahl eines jeden Gesellschafters dargelegten Hauptguts, gerechnet und*



geteilt werden. Denique Iure Francofurtensi b) ita statutum est: Wann kein Mass noch Anzahl, wie es mit Austheilung des Gewinnes soll gehalten werden, der Gesellschaft Verschreibung einverleibt, das der Gewinn nach Anzahl jeden Gesellschafters Capital und Hauptguts solle ausgetheilet werden.

z) §. 1. Inst. de societ. 29. pr. π. pro Socio.

a) lib. III. qu. 1. nr. 6.

b) p. II. const. 30. def. 38.

c) d. de diuisione lucri et damni inter socios.

d) exerc. ad π. XX. th. 30.

e) praelect. ad Inst. c. 1. §. 3.

f) p. II. tit. X. art. 4.

g) Ref. Nor. tit. 18. leg. 1.

h) Ref. Francof. p. II. tit. 23. §. 3.

### §. XXII.

Vnde sequitur, vt sociorum ille, qui durante societate partem fortis repetiit, non omne lucrum, quod praeteritis annis, vi legis aut pacti,



pacti, percepit, in posterum exigere queat, sed illius detractionem pro rata diminutae fortis admittere teneatur i).

i) STRYK. *decif. Sabbath. c. XI. decis. 28.*

§. XXIII.

Ab aequali illa lucri diuisione nonnunquam pacto recedunt socii. Quod si fecerunt, siue ex hac causa, quod, qui eandem sortem contulerunt, ad operas sociales, diuersi generis, praestandas sint obligati, siue ex alia; eam in instrumento societatis solent exprimere hoc fere modo: *soll ihm in Ansehung der grossen Mühe und gefährlichen Reisen, so er bey dieser Mascopey zu übernehmen hat,  $\frac{1}{3}$  vom profit, und nur  $\frac{1}{2}$  vom Schaden zu wachsen k).*

nisi aliter conuenit, debet

k) STRYK *de caut. contract. sect. II. c. 10. §. 4.*

§. XXIV.

Ita tamen conuenire nequeunt, vt vnus omne lucrum, alter omne damnum consequatur.





tur. Eiusmodi societati, *leoninae l)*, vel vt  
HOFFMANNO *m)* visum est, *theoninae*, nomen  
dedit Cassius.

*l)* 29. §. 2. ff. pro Socio.

*m)* *meletem. academ.* ad lib. π. XVII. §. 4.

### §. XXV.

Sic quoque, qui sortem contulit citra ani-  
mum lucrandi, aut hac lege, vt, praeter illam  
suo tempore restituendam, quotannis certam  
numorum summam absque calculo, vti lo-  
quuntur, et nulla casuum fortuitorum, si qui  
obtigerint, ratione habita, recipiat, nullam  
societatem mercatoriam, si vel maxime hoc  
nomine vsus, sed illo casu donationem *n)*, hoc  
vero mutuum prauitate vsuraria infectum con-  
traxisse videtur.

*n)* §. §. 2. π. pro Socio.

### §. XXVI.



§. XXVI.

Lucrum vero non intelligitur, nisi dedu-  
 ctis expensis, quae in negotiationem factae  
 sunt o). Quibus inter alias annumerantur:  
*Buchhalter und Diener salaria: Haus-Contoir-  
 und Gewölb-Zinfs, Frachten, Zölle u. d.*

atque, non  
 nisi praevia  
 deductione  
 expensarum

o) L. 12. et 27. π. pro Socio.

§. XXVII.

Communio lucri secum fert illius damni,  
 quod societati de qua loquimur circa negotia-  
 tionem et inde sperandum lucrum obtigit, iu-  
 stam communionem, etiam in societatis formu-  
 la non nominatam. Id quod probe cognovit  
 mercatoriarum rerum peritissimus PAVL. IAC.  
 MARPERGER, qui decisum XI. celebris SAVARY,  
 quod probavit, h. v. retulit p): - - *wäre nicht  
 anders zu verstehen, als dass dasienige erst  
 Profit genennet werden könnte, was nach abge-  
 zogenen Verlust überbliebe. Dahero bey den  
 Kauf-*

et damni;  
 quod ex ne-  
 gotiatione,





*Kaufleuten die Conto von Gewinn und Verlust eine Rubric wär, in deren Debet der Handlungs-Schade, in dem Credit aber der Profit gesetzt würde, was alsdenn, nach Abzug ienes, von diesem noch übrig bliebe, das würde erst Profit genannt. Itaque, si fingere licet, Titio socio, dum proficiscitur ad merces sociales coëmendas, et numos et alia a latronibus furripi, damnum et numorum et aliarum rerum, quas secum non tulisset socius, nisi ad merces communi nomine comparandas profectus esset, commune haberem q).*

p) *in dem Vorrath unterschiedlicher, über allerhand, die Kaufmanschaft betreffende Vorfälle, eingebobhten Responsorum p. 202.*

q) *MEYRERS d. de eo, quod inter socios iustum est, c. 6. §. 19.*

### §. XXVIII.

Ea vero damna, quae vnus et alter sociorum extra societatem perpeffus est, aut com-  
mit-

non aliunde  
uenit, potest  
diuidi,



mittendo hoc et illud delictum \* sibi attraxit r), cum reliquis communicantur minime; haud aliter atque aes alienum, quod vnus et alter sociorum extra societatem contraxit, sociale non habetur.

\* Illustr. LEYSERVS spec. 187. m. 2. hanc addit exceptionem: *nisi socii delictum approbauerint reliqui.*

r) Ref. Nor. tit. 18. leg. 2. §. Ob auch.

§. XXIX.

Quodsi vero damnum circa ipsam sortem, ad dominium collatam, contigerit, videndum est: num focii de partibus damni ferendi conuenierint nec ne. Illo casu pacto omnino standum est, siue nulla, siue inaequalis pars vni et alteri assignata fuerit. Tantum enim abest, vt damni huius generis communito ad societatis nostrae substantiam pertineat, vt potius iure constet, socios posse conuenire, vt quis lucri partem ferat, de damno non teneatur s).

Quid de damno circa sortem contingente statuendum?

s) §. 2. I. de sociét. LAVTERBACHII d. de periculo rerum in societate coniug. illat. c. 2. §. 26.

D

§. XXX.



## §. XXX.

In casu autem posteriori partes damni, si-  
cuti lucri, aequae debent esse; et, si in societa-  
tis instrumento aliae partes lucri expressae fue-  
rint, damni nullae, eadem ratione damni pro-  
batae videntur *t*), contrariorum enim eadem  
ratio debet esse atque proportio. Posterius  
Statutis Hamburgens. dispositum est *u*) sequen-  
tem in modum: *Wann Mascopey-Brüder sich  
eines gewissen vereiniget haben, welcher gestalt  
der Gewinn von ibrem eingebrachten Gelde  
oder Waaren soll getheilet werden; auch her-  
nach über Zuversicht kein Gewinn, sondern  
Schade befunden wird, so soll dasienige, was  
von dem Gewinn verabscheidet, auch in dem Ver-  
lust gehalten werden; prius vero legitur in Co-  
dicillo iurium ciuit. Megapol. cuius verba art. X.  
ita sonant: Obvohl allhie Gesellschaften und  
Mascopeyen nicht viel gebrauchet werden, so  
müs-*



müssen doch dieienigen, so allhie Mascopeyen mit einander haben, Gewinnst und Verlust zugleich tragen, genießen und entgelten.

1) §. 3. I. de societ.

2) p. II. tit. X. §. 6.

§. XXXI.

Quandoquidem societatem non nisi intuitu negotiationis licitae contrahere, et lucrum inde quaesitum communicare licet (§. XII. 4.): ad intelligendum est facile, cur de mercibus, quas ex prouincia exportari, aut in illam inferri prohibent leges\*, lucri quaerendi causa, in commune conferendis conuenire sit illicitum.

Negotiationem licitam instituentes

\* Sunt autem merces prohibitae, Contraband-Wahren, varii generis, mox rudis materia domestica, qua ad opificia sua indigent opifices, mox ea omnia, quae ad bellum instruendum, aut ad hostem subleuandum faciunt, mox alia. Vid. Ill. AYRERI S. R. I. *Princeps politiam circa commercia et studia ciuium suorum adornans* §. XIV. p. 56. seq. et quae c. I. laudauit scripta, quibus adscribi queunt HEINECCI d. de nauibus ob





mercium illicitarum vestram commissis. STEPHANI d.  
de rebus exportari prohibitis.

§. XXXII.

habentur  
fratres.

Singulari amicitia sibi inuicem focii debent esse iuncti (§. XII, 5). Hinc (1) societas ius quoddam fraternitatis in se habere z), atque voluntarium fratrum consortium esse a) dicitur, (2) discordiae inter socios natae magis ex officio amoris et adfectionis, quam secundum regulas stricti iuris, et (3) plerumque secundum formulam arbitrii quorundam mercatorum \* decidi debent b).

\* *Pareres*, siue iudicia, quae mercatores ad facti (quandam speciem, sibi vel a iudice vel a priuato missam, tulerunt, significant, quid inter mercatores receptum sit, neuiquam vero iura tradunt. MARQVARD *de iure mercat.* lib. III. c. 6. nr. 52. MÜLLER ad STRVVIVM exerc. XXV. th. 45. lit. γ. Notatu omnino digna sunt verba, quibus SAVARY vsus est *dans ses pareres* p. 212. *il arrive quelque fois, que les juges envoient devant les marchands les proces pour donner leur avis sur des questions*



stions du fait, qui sont en usage dans les commerces, et dont ils ne savent pas la pratique, mais jamais ils ne renvoient sur des questions du droit parce qu'ils savent bien que c'est une matière que les marchands negotians et banquiers n'entendent pas, c'est ainsi que des bons et sages juges en usent en semblables occasions en separant toujours le droit d'avec le fait. Vid. etiam MATTH. SCHLÜTER II. von einer zu Recht beständigen Gewohnheit. tit. 17. §. 8.

\*) L. 63. pr. π. pro Socio.

a) L. 52. §. 8. eod.

b) MARPERGER *im neu eröffnetem Handels Gericht* c. 3. cc. f. p. 68.

### §. XXXIII.

Quae cum ita sint, atque amicam Christianorum cum Iudaeis conuersationem prohibeant <sup>R. An Iudaei possunt esse socii?</sup> canones: sunt quidam, qui Iudaeos cum Christianis societatem mercatoriam inire possent, ad R. I. August. de A. 1551. c) prouocantes. Verum enim verò in citato textu nihil quidquam de societate mercatoria legitur, sed haec tantum: (1) vt ne obligationis formula,

D 3

a Chri-



a Christianis Iudaeo data, valeat, nisi eam vel conceperit, vel confirmauerit iudex debitoris ordinarius; (2) vt ne Christianus actionem, quae Iudaeo contra Christianum competit, numis redimat, disponuntur, addita clausula: *Doch sollen den Iuden die aufrichtige Handthierungen und Commerciën in den offenen freyen Messen und Jahrmärckten hiermit obubennommen seyn.* Hinc intrepidus statuerem, Iudaeum christianorum mercatorum socium fieri posse in locis, quibus protectione fruitur, dummodo negotiatio istarum rerum, quarum ei cum Christianis intercedit commercium, instituat.

c) §. diesem zu begeuen 79.

§. XXXIV.

Societas in  
alias personas

Societatem quamunque socius meus, me inuito, in alios extendere nequit, sed, quem socium, me incio, adsumsit, sibi non mihi reddidit socium d). Itaque adsumtus cum illo  
tan-



tantum, qui eum adsumsit, lucrum et damnum communicat, et, si quid damni nostrae societati attulerit, ille, qui eum adsumere nullus dubitavit, indemnitate praestare teneatur e).

d) L. 19. 20. 21. *π.* pro Socio.

e) L. 23. eod. MARTA *digest.* To. III. tit. Socius c. 2. STRVV *decif. Sabbath.* c. XI. dec. 5.

§. XXXV.

Nec societas trahi potest ad alias res operasue, quam de quibus illius formula loquitur. resue extendi nequit.

Qua igitur ratione socius bona, quae citra sortem possidet, aut inita societate extra hanc quaesivit, teneatur, aut aes alienum, quod vel ante vel extra societatem contraxit, possit cum reliquis communicare, equidem non video.

§. XXXVI.

Societas, statim ac celebrata est, effectus producit suos, facitque, ut socius socio fidem Socius fidem datam servare, et tam

tam



tam seruare, atque speciatim determinatam formam conferre, eamque societati, vsque dum haec dissoluatur, integram relinquere, nec minus in socialibus negotiis peragendis eam, quam in suis praestare solet diligentiam, exhibere, itidem, si ipsam negotiationem in se susceperit, diarium, cui societatis nomen inscriptum est, rite conficere *f*), rationesque, ad quas tempore vel a lege *g*) vel conuentione determinato reddendas obligatus est, praeuia inuentarii \* conscriptione, non in folle, sed ita, vt in datorum acceptorumque veritatem inquiri, nec non lucri et damni inter socios communis quantitas adinueniri possit, reddere *b*) debeat.

\* Hoc quandoque iureiurando corroborare tenetur, vt vel ex *Statut. Hamburgens.* lib. II. tit. 10. §. 2. cognoscere licet.

*f*) ESCOBAR *de ration.* c. X. nr. 38.

*g*) *Reform. Nor.* tit. 18. leg. 5.

*b*) MARQVARD. c. l. II, II, 31, 32. STRVV *decis. Sabb.* c. XI. dec. 14.

§. XXXVII.



Quam diligentiam si quis sociorum, sum-  
tus necessarios impendens, praestiterit, horum  
intuitu, se a reliquis indemnem praestari, pete-  
re potest. Contra si negligenter egerit, non  
solum impensas repetere nequit, sed etiam so-  
cietati damnum, quod dedit, refarcire tene-  
tur *i*), si vel maxime negligentiam suam cum  
diligentia, alio tempore societati praestita, com-  
pensare velit *k*), atque lucrum hoc quaesitum  
multo maius sit damno illo dato.

*i*) Statut. Hamb. II, 10, 13. Ref. Nor. tit. 18. leg. 2. Fran-  
cof. p. II. tit. 23. §. 8.

*k*) L. 26. π. pro Socio.

§. XXXVIII.

Socius ex contractu proprio solus obliga-  
tur *l*), si vel maxime a reliquis impediatur, quo  
minus eum adimpleat *m*); sin vero quemdam  
societatis nomine, vel in illius rem celebraue-  
rit,

focii contra-  
ctui stare  
tenetur.

E

rit,



rit, societas tenetur *n*), praefertim si focii ad vnum omnes \* eum negotiatorem constituerint *o*), aut de eo, vt vnusquisque complementum, quod vocant, dare possit *p*), expresse conuenerint. Quibus in casibus quilibet sociorum in solidum obligatur \*\* *q*), superhabita, instrumento societatis addita, clausula: *quod aes societatis alienum omnes socii pro sua virili exsoluere debeant*, nec obstante illo principio: quod periculum commune debeat esse, siquidem, qui solidum soluit, actione pro socio vti *r*), sicque damnum vel debitum commune efficere potest.

\* Siue *expresse*, i. e. verbis literisue daclarata, siue *tacite* i. e. ex factis et scientia ac patientia praesumta sociorum voluntate, hoc factum sit, perinde est. Quod si vero a quibusdam tantum, numero pluribus aut minoribus sociis, reliquis insciis et inuitis, constitutus fuerit negotiator, contrahendo non omnes socios, sed illos tantum, a quibus negotiationi praepositus est, obligat, arg. 4. §. 2. *π.* de exercitor. actione.



TERBACH d. de sociorum obligatione, quae oritur ex conventionione cum extraneis inita, c. VI. §. 30.

\*\* Sic ex adfsecuratione, quam socius societatis nomine celebravit, omnes in solidum obligari pronunciauit Rot. Gen. dec. 29. et mercatorem, qui ab vno vel altero socio aliquid emit, eum, quem velit ex sociis, redhibitoria in solidum conuenire posse, statuit MARQVARD c. I, II, 11, 13,

l) L. 52. π. eod. Ref. Nor. tit. 18. leg. 3. §. ob aber MARTA digest. To. III. tit. Socius c. 8.

m) LYNCKER dec. 1071.

n) Stat. Hamburg. II, 10, 8. LEYSER sp. 185. m. 1. seq. MARQVARD c. I. nr. 12. Ius Lubec. III, 9. art 5. ibique MEVIUS.

o) Ref. Francof. p. II. tit. 23. §. 9. LAVTERBACHII disq. de sociorum obligatione, quae oritur ex conventionione cum extraneis inita c. III. §. 18. seq.

p) MARTA digest. To. III. Tit. Socius c. 14.

q) MARQVARD. c. I. II, 11, 11. seq. CARPZOV II, 17, 12. 10. BAPT. COSTA tr. de quota et rata qu. 154. nr. 10.

r) Ref. Nor. tit. 18. leg. 3. §. Doch sollen. Francof. p. II. tit. 23. §. 9. seq.





## §. XXXIX.

Societas dis-  
soluitur vario  
modo, spe-  
cialitiam

Cessat societas mercatoria (1)  *finita negotiati-  
one s*), cuius intuitu, aut (2) praeterlapso  
tempore, ad quod ea fuit inita *t*), vel (3) si  
hoc nondum praeterlapsum, mutuo dissensu *u*);  
et (4) si non ad certum tempus, sed ad bene-  
placitum celebrata, vel saltem celebrata vide-  
tur legibus, quolibet, tempestivo tamen tem-  
pore \*, quilibet ei renunciare potest.

\* Vid. Stat. Hamburg. II, 10, 10. Der Graffschaft Hoben-  
lobe gemeinsames Land-Recht p. 3. tit. 9. ubi verba: *nur  
muss es nicht zur Unzeit, und dem andern zum Schaden,  
oder aus einer B'sheit geschehen.*

s) L. 65. §. 10. pro Socio STRVV exerc. XXII. th. 40.

t) L. 65. §. 6. eod.

u) 5. C. h. Ref. Francof. p. II. tit. 23. §. f.

## §. XL.

Si quis vero societati renunciet intempesti-  
ue v. c. negotio nondum finito, tempore, ad  
quod



quod ea inita, nondum praeterlapso, die, quo alteri damnum imminere, sibi autem lucrum deferri satis cognouit etc. reliquos quidem, neutiquam vero se liberat\*, ita scilicet, vt damni particeps, lucri vero expers maneat x), nisi eam renunciationis causam laudare queat, quae iusta est dissoluendae societatis, vt si conditio, sub qua societas inita, nondum adimpleta, nec adimpleri queat, quum socius in eum statum redactus sit, vt ea, quae promisit, ad finem societatis consequendum, conferre nequeat y)\*\*), aut istarum rerum, quarum intuitu negotiatio suscepta est, priuatus sit commercio z).

\* L. 14. et 65. §. 6. π. pro Socio. Neutiquam enim sub specie precarii, multo minus in societate onerosa, alterum fraudare licet.

\*\* Vt si socius monachus factus esset, et ad operas praestandas obligatus, reipublicae causa diu abesse cogatur a. L. 16. h. vel furere inceperit etc. aut illius, qui fortem conferre tenetur, bona publicata vel ecclesiasticis annumerata sint, aut creditoribus in solutum





\* data. Hinc publicata forte societatem dissolui, L. 65.  
§. 1, 12, h. dispositum est.

3) L. 17. §. 1. 65. §. 3. seq. π. pro Socio FELIC. *de societ.*  
c. 35. nr. 15.

4) L. 14. π. h.

2) 15. 65. §. 5. π. h. HORN *Class. XI. Resp. 81.*

### §. XLI.

morte vnus  
socii.

Dissoluitur morte vnus vel alterius socio-  
rum *a*), adeo vt neque socii superflites defuncti  
heredes, neque hi illos, praeterquam in socie-  
tate vectigalium *b*), agnoscere teneantur socios,  
quoniam contrahentium consensus ultra perso-  
nam, in quam declaratus est, extendi nequit *c*).  
Interim tamen heredes a defuncto caepta expli-  
care *\*d*) et quae superflites, vel ignorantes so-  
cium mortuum esse, vel quod tempestiua socie-  
tatem dissoluendi occasio nondum nata sit, secun-  
dum legem societatis peregerunt, rata habere  
tenentur *e*). Quae probata legere potes in

*Sta-*



*Statutis Hamburgensibus, Reformatione No-  
rica et Francofurtensi. In istis enim sequen-  
tem in modum dispositum est: Stirbt einer von  
den Mascopey Brüdern, so ist die Gemeinschaft  
dadurch aufgehoben, und ist der Erbe in der  
Mascopey zu bleiben unverbunden. Doch SO  
VON SEINEM VORFAHREN  
EIN GEWISSER HANDEL AN-  
GEFANGEN, und Vnkosten darauf ge-  
wandt, ist der Erbe schuldig, denselben Han-  
del auf Gewinn und Verlust zu vollenbringen;  
in illa vero haec lex occurrit: sie sind wider  
ihren guten Willen; weiter oder länger, dann  
BIS AUF NECHSTKUNFTIGE  
RECHNUNG darin zu bleiben, nit verpun-  
den; haec denique ita disponit: So erklären wir  
dass in solchen Fall weder die überlebende Ge-  
sellschaft die Erben wider ihren guten Willen  
zu sich in die Gesellschaft einzunehmen, noch  
auch*





auch hinwieder die Erben in die Gesellschaft  
 (da ihnen dieselbe nicht annehmlich) LÆN-  
 GER ALS ZU DER NECHSTEN  
 RECHNUNG ZU BLEIBEN schul-  
 dig seyn sollen, doch dafs sie DASIENF-  
 GE, SO IHR VATER ODER VOR-  
 FAHR, DEN SIE GEERBT,  
 VERSCHRIEBEN UND BEWIL-  
 LIGET HATTE, VOLLN-  
 ZIEHEN UND LEISTEN.

\* In libris βασιλικων haec leguntur: ὁ κληρονόμος τῶ κοι-  
 νῶν τὰ παρ' αὐτῶ ἀρχόμενα πληροί.

- a) L. 59. π. pro socio.  
 b) 39. eod. 63. §. 8. 35. 37. eod.  
 c) 65. §. 9. eod.  
 d) 40. eod. 65. §. 9.  
 e) 65. §. 2. 10.

§. XLII.

Q. an socie-  
 tas in heredes  
 transeat ?

Quid autem, si focii societati hanc legem  
 scripserint, vt ea vnus morte vix dissoluatur,  
 nonne







citur clausula: *saluo iure a Conto nouo, et cum reseruatione rationum contrariarum*, quae hoc efficit, vt rationes certum liquidum inter partes constituere non videantur, sed adhuc vitia mercium atque illiquidorum debitorum solutiones notari, et errores in calculo commissi detegi possint.

h) LYNCKER *resol.* 639.

§. XLIV.

deductis de-  
ducendis,

Rationibus discussis, ea, quae post solutionem aeris alieni, quod societas contraxit, deductionem impensarum in societatem factarum\*, resarcitionem damnorum, quae vnus et alter sociorum societatis intuitu perpeffus est\*\*, supersunt, ad soluendas sortes adhibentur, et quae tunc sunt reliqua, qua lucrum inter socios *m*), vel ex aequis, vel ex illis, quas societatis instrumentum determinat, partibus diuiduntur.

\* Quae vero socius negotiator in rem propriam impendit, aut luxu lusuue perdidit, aut sponsione amisit, aut poenae loco iudici soluit: ea in rationes mercatorias referre nequit, MEVIUS ad *Ius Lubec.* p. III. tit. 9. a. 3. nr. 37. seq.

\*\* Vti socius negotiator, rerum comparandarum gratia ad peregrina loca profectus, in latrones inciderit, sicque numos perdidit, aut alius, dum restitit insitatori ad fugam erumpenti, ab hoc vulneratus, propterea que *σώσσειν* soluere coactus fuerit etc. 61. w. h. Damnorum et impensarum deductione nondum facta, nullum



lum lucrum intelligitur (§. XXVI. seq.). Hinc formula illa: *Wann einer derer Compagnons sterben würde, sollten die längstlebende des verstorbenen nachgelassenen Wittib und Erben die Summa des profits bis an den Tag seines Todes zahlen, damni et impensarum communionem vix excludit, sed tam lucri quam damni communioni eundem terminum ponit. Vide SAVARY parer. XI. ap. MARPERGERVM im Vorrath unterschiedener, über allerhand, die Kaufmanschaft betreffende Vorfälle, eingebobhten Responsorum und kaufmännischer Pareres p. 201.*

m) I. Lub. c. 1. a. 1.

§. XLV.

Quilibet enim sociorum repetit sortem <sup>fortes cum la-  
ero distri-  
buuntur.</sup> suam n), ad usum communicatam \*, nisi ex alia atque societatis causa perierit o). Ad dominium communicata in numis, aut iis deficientibus, in mercibus et nominibus restituitur p). Quandoquidem vero illiquida et difficilioris exactionis sunt nomina, vel temporis sumtuum molestiarumque habenda ratio in iis adsignandis, vt, praeter lucrum cessans, pensentur sumtus et molestiae, vel communi opera sumtuque ea sunt exigenda.

\* Idem iure, quod in patria mea promulgatum est, dispositum legimus h. v. *Machen etliche Gesellschaft mit einander, dergestalt, daß einer oder mehr Geld legen, der oder die andern thun die Arbeit, wenn sie alsdann scheider wollen, so nimt derjenige, welcher das Geld gelegt, den Hauptstul zuvor, und den Gewinn theilen sie zugleich. Ist aber kein Gewinn, so theilen diejenigen miteinander, die das Geld zusammen getragen, die andern*





aber haben die Arbeit umsonst gethan lib III. tit. 9, a. I.  
SAM. STRYK ad *lus Lubec.* c. XI. nr. 60.

- 2) TELLER d. de *diuisione lucri et damni inter socios* c. 3.  
§. 8. seq. STRVV exerc. XXII. th. 33.  
o) L. 58. §. 1. 52. §. 4. π. h. p) *Ref. Nor.* tit 18. leg. 6.

### §. XLVI.

Societas finita continuari, et dissoluta instaurari potest tam expresse quam tacite, semper tamen sub iisdem legibus, sub quibus contracta fuit\*, continuata et instaurata praesumitur; nunquam continuatio,\*\* aut instauratio\*\*\* indiget literis, licet his olim vsi fuerint contra-hentes. Si enim societas solo consensu, etiam tacito celebratur, nec scriptura ad illius substantiam pertinet, qua ratione socii, qui ad faciliorem probationem societatis iuitae scripturam confecerunt, obligati queunt dici ad scripturam super continuatione aut instauracione societatis conficiendam q).

\* Sic poena priori societati apposita, in tacite renouata repetita censetur. HERTIVS de *societate facta contracta* sect. II. §. 9.

\*\* Vt si, finito societatis tempore, socius negotiator fortes retineat, et negotiationem modo, quo antea eam exercuit, continuet, reliquis tacentibus nec contradicentibus.

\*\*\* Vt si quis sociorum sortem sibi traditam in eandem negotiationem iterum conferat, aut contra societatis dissolutionem profectetur, reliquis acquiescentibus V. HERTIVS c. d. sect II. §. 3. 6.

q) *MARTA digest. nou.* To. III. tit. Societas c. XVI. f. 305.

### §. XLVII.



## §. XLVII.

Quae de instituenda actione pro socio, et exceptionibus huic opponendis, de iure vnus focii in bonis alterius, et de beneficio competentiae disponunt iura aut probarunt mores, itidem quae de Societate *en commandite et momentanée* notanda sunt, nec non quae in hac vel illa societate celebranda seruari debeant cautiones etc. ea nos variis de causis moti ad aliud tempus differre cogimur, paucis iam significantes, quatenus capita legibus, societatis contractui adiectis, determinari soleant.

## §. XLVIII.

Plerumque vero solent focii (1) de fortis inferendae quantitate et operarum praestandarum qualitate, (2) de termino, a quo incipere et ad quem vsque durare debeat societas\*, et cuius, eo nondum praeterlapso, ad diuisionem prouocare liceat, (3) de nota societatis et ratione subscribendi literas sociales, *megen der Signatur und Handschrift*, conuenire; atque haec: (4) qua poena adficiendus, qui arcana negotiationis prodidit aliis? (5) num omnium coniunctim, an vnus tantum sociorum vel extranei cuiusdam debeat esse, negotiationem exercere, peregrinari, nundinas frequentare,  
et





et sociales literas ad extraneos scribere? (6) num sociorum vni vel alteri, in sociis reliquis, mutuum pecuniam sumere, aut fidem pro aliis interponere, itidem negotiationem a sociali separatam instituere liceat? statuere; porro (7) eum, qui inuentarium conficiat, rationesque reddat, nominare, additis legibus, quibus determinetur *tempus*, quo inuentarium confici et rationes reddi debeant, *fides*, quae libris mercatoris tribuenda\*, atque *honorarium*, quod librorum mercatorum conditori soluendum; nec minus (8) denotare vel socium vel alium, qui lucrum distribuat, addita norma, secundum quam facienda distributio, num scilicet aequas lucri et damni partes, et quasnam, simpliciter an relatiue sic dictas, facere, an lucrum et damnum diuerso modo distribuere, atque vnum sociorum lucri, neutriquam vero damni, participem reddere teneatur; (9) constituere, num lucrum, cuique adsignatum, plene soluendum, vel, vti mercatores loquuntur: *Ob der Handels-Gewinn jährlich und jedes mahl völlig zu theilen, oder etwas, um mehre Frucht damit zu schaffen, in der Handlung bleiben soll*; dein (10) disponere, num, si tertius partes lucri et damni definiat, locus relinquendus reductioni ad arbitrium boni viri, atque (11) arbitrum, qui dissidia inter socios oriunda componat, nominare, denique (12) tempus et modum, quo sortes et quae supersunt socialia bona separentur, designare, simulque, num et qua ratione sortem in mercibus restituere liceat, definire. Dicta quodammodo illustrant formulae, quas exhibent STRYK *r*) et ROHR *s*).

\* Pactum separationis raro purum est. Vix tamen conditionem inuoluit modus, quo dissolui debet societas. Vnde si conuenerint socii, vt dissolutio societatis fiat cum dissolutione nominum, huius impedimentum illius impedimentum esse nequit. GASSER c VIII. obs. 14.

*r*) Libris, quos per alios condidit, conuenta fides non habetur. ESCOBAR de rariocin. c. 12. nr. 1.

*s*) de C. Contr. sect. II. c. X. §. 20.

*r*) *Vorrath allerhand auserlesenen Contracten XI. Abtheil. n. 136. p. 696. sq.*











KK 698

X 231 3770


Retw 17.8.00 ✓

VD 17









D. IO. RVDOLPHI ENGAV.  
CODICIS ET NOVELL. P. P. O.  
CVRIAE PROVINCIALIS ASSESSORIS SCABIN.  
COLLEGII SENIORIS etc.

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

SOCIETATE  
MERCATORIA

oder

von der Compagnie Handlung.



VIENAE  
RECUSA LITTERIS SCHILLIANIS. 6  
CICID CCLXVII.